



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt nullus occultè nuptias celebret. iii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

dotata legitimè, & publicis nuptiis honestata videatur, si paterno arbitrio viris coniunctæ carent culpa, si mulier quæ à viris habebantur in matrimonio non fuerint, aliud est nupta, aliud concubina.

*Qualis vxor legitima esse debeat. Cap. II.*

*Ex epist.  
Leonis  
pape.*

**Q**ualis affe debeat vxor quæ habenda est secundum legem. Virgo casta & desponsata, in virginitate, & desponsata legitimè, & à parentibus tradita, & à sponso & à paranymphis accipienda, & ita secundum legem & Evangelium publicis nuptiis honestè in coniugium liquidè sumenda, & omnibus diebus vitæ nisi ex consensu & causa vacandi nunquam propter hominem separanda, & si fornicata fuerit dimittenda: Sed illa viuente altera non deducenda, adulteri regnum Dei non possidebunt, & penitentiam per scripturas recipienda.

*Vt nullus occultè nuptias celebret. Cap. III.*

*Ex decr.  
Hormisdæ  
pap.  
cap. 6.*

**V**t nullus fidelis cuiusque conditionis sit occultè nuptias faciat, sed benedictione à sacerdote accepta publicè nubat in domino.

*Quo tempore nuptia celebrande sint. Cap. IIII.*

*Ex cõcil.  
Hilderdesi  
cap. 3.*

**Q**uod non oporteat à septuagesima vsque in octaua Pasche, & tribus hebdomadibus ante festiuitatem s. Iohannis Baptistæ, & ab Aduentu domini vsque post Epiphaniam nuptias celebrare. Quod si factum fuerit, separentur.

*Qualiter benedicantur à sacerdote sponsus & sponsa, Caput V.*

*Ex cõcil.  
apud Valentias,  
cap. 101.*

**S**ponsus & sponsa quum benedicendi sunt, à sacerdote à parentibus, vel à paranymphis in Ecclesia sacerdoti offerantur, & cum benedictionem acceperint, eadem in pro reuerentia ipsius benedictionis, in virginitate manent.

*Vt nullum coniugium sine dote fiat. Cap. VI.*

*Ex cõcil.  
Arala-  
tensi, c. 6*

**N**ullum sine dote fiat coniugium, iuxta possibilitatem fiat dos, nec sine publicis nuptiis quisquam vel vxorem ducere præsumat.